



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De promotione eius ad sacerdotium, & descensu humilitatis eius. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

sequenter non est animi seruus maior Domino suo, Et si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?

3. His itaque sermonibus sanctis strenue confortatus, nec hominum ludibria curauit, nec à vera humilitatis via, quam veritas docuit, declinauit, sed per contemptum mundi & abnegationem sui, conatus est ascendere ad alta virtutum. Elegit namque potius abiectus Lullardus cum fratribus suis vocari, aut insanus à secularibus reputari, quam magnus dominus & magister nominari. Vnde quantum in eo fait, honorificum magistri nomen suppressit, voluitque solum simplici nomine Florentius dici, sicut & alij fratres eius, quorum aliqui satis bene literati erant, & ex ditioribus in seculo nati. Nihil autem preciosum aut nitidum in vestibus habere voluit, nil deliciarum in cibis cupiuit, nil superfluitatis in necessarijs utensilibus admisit, sed simpliciora & plana, quæ humilitatem prætenderent, & seculares non offenderent: qui melius docentur humili exemplo, quam subtili sermone. Itaque communem vitam sectando, & fraternam charitatem omnibus exhibendo, non alta de se sapiendo, sed humilibus semper consentiendo, iam non vt magister rigidus metuebatur, sed sicut amabilis pater diligebatur; quia in ipso velut in lucidissimo speculo, & foris decens morum honestas, & intus cælestis puritas apparebat.

CAPVT X.

De promotione eius ad sacerdotium, & descensu humilitatis eius.

Prov. 29.

1 **S**ed quia humilem merito gloria sequitur, & mitem iusta laudatio decet, illi, qui viro Dei prius aduersabantur, videntes mentis eius constantiam, & propositum in Domino fixum, represserunt linguas suas ab infestatione iniusta. Vnde ad pietatem conuersi cœperunt commendare vitæ sanctitatem, & reuereri eum propter modestiam habitus eius & disciplinam, nec non fratrum eius deuota diligere studia in humilitate Christi fundata. Et quidem iuste. Quem enim gratia Dei perfuderat, & multis virtutibus florere fecerat, rectè diligi meruit, & ab omnibus magnificari. Crescente igitur fama bonitatis eius, complures clerici & laici ad audiendum verbum Dei domum eius frequentabant, & nonnulli de scabinis & maioribus ciuitatis, consilij causa ad eum veniebant, eo quod sapientia Dei & fides maior, secundum virtutem animi inueniebantur eidem inesse. Quapropter in arduis & obscuris casibus conscientias suas securius

rius ei committebant, & libenter eum audiebant, auditoque co-
multa bona Deo placita faciebant.

2. Gaudebat igitur magister humilis charitate plenus, de fru-
ctu animarum & spiritali profectu fratrum suorum, magnam-
que curam pro necessitatibus pauperum clericorum gerebat.
Christum Dominum in eis venerando. Considerans autem ve-
nerabilis magister Gerardus, dilectum discipulum suum magi-
strum Florentium speciali deuotionis prerogatiua florere; con-
silio sancti Spiritus inspiratus, & multorum fratrum precibus fla-
gitatus, decreuit eundem ad sacerdotij gradum promouere. Qui
tanto honore indignum se contestans, ab hoc onere humiliter
petijt subleuari. Sed fratrum victus instantia, tandem magistri
sui monitis resistere non audens, obedientia compellente assen-
sit. Factus ergo presbyter, non est elatus in gloriam humanam,
sed tanto humilior in omni actu & habitu suo inuentus est, qua-
to dignitate & ordine maior. De quo magister Gerardus tale te-
stimonium perhibuit, dicens: Semel feci vnum ordinari in pres-
byterum, & spero, quod dignus sit. De cetero cauebo ne leuiter
quid simile faciam, quia paucos ad hoc idoneos cerno. Ipse ta-
men dominus Florentius, sicut vere paruus & vilis in oculis suis,
nil magni ex clericali ordinatione de seipso existimauit, sed in-
feriores etiam fratres in animo sibi praposuit, & de quodam
simplici clerico nondum in sacris constituto sic ait: O si pro ca-
lice meo, possem Deo offerre in iudicio, pennam illius clerici.

CAPVT XI.

De raritate exitus sui, & cum quanta disciplina stabat in choro.

IN bonis autem & honestis moribus suis, facile poterat vir
D. Florentius ab ignotis & secularibus agnolci; quod
erat deuotus homo & amicus Dei, dignusq; vicarius Iesu Chri-
sti. Hic itaque prius fuit canonicus sancti Petri in Traiecto: sed
illa prabenda relicta, vicariam recepit in Dauentria: vt apud ma-
gistrum Gerardum staret, eius erudiendus exemplo & doctrina.
Vnde semel vni amicorum dixerat hæc verba: Spero, quod non
moriar canonicus, sed in humiliori statu seruiam Deo. Et factum
est ita, ad laudem Dei in secula. Qui cum in magna haberetur
reuerentia, pro sua sanctitate & abstinentia, summe tamen vita-
uit ab hominibus honorari. Ideoque egredi ad publicum decli-
nauit, & manere domi cum fratribus suis vnicum solatium sibi
duxit, sciens maiore sibi profectu, & alijs exemplū stabilitatis in-
de prouenire. Transiens autem per plateam expeditius ibat, nō te-
xens